eos ut iudicent et dampnent; TIT PS XLVII canticum filiis core secunda sabbati;
Quid sit psalmo canticum uel canticum psalmo superius iam diximus; quando enim
primum racionabilis uox insonabat et deinde eandem uocem lire aut citare mo
dulatio prosequebatur. psalmo canticum appellabatur; Sicut instrumentorum melodia natu
rale sonum precessisset. tunc canticum psalmo uocabatur; Quid sint filii chore
notum est; illud diligentius intuendum quod sequitur. secunda sabbati, Prima quippe sabba
ti est quam nunc orbis christianus diem dominicam uocat. que est et prima dies seculi in qua
et lux condita est; Secunda autem sabbati uocatur secunda feria in qua firmamentum factum est in
medio aquarum. Firmamentum uero istud sanctam significat ecclesiam inter aquas huius
seculi. secunda die. i. post resurrectionem a christo solidatam et omni uirtutum pulchritudine
ornatam; et cantatur totus hic psalmus in laude dei patris fundantis et solidantis in presenti
ecclesiam suam; Quod autem magnus dominus. non proprie in deum cadit, illud nomen quod est magnus in quo nec
quantitas nec qualitas ulla proprie dicitur; Sed a nobis sumit hoc uocabulum sic et alia multa.
MAGNUS DOMINUS. i. quia magna omnia condidit; Et laudabilis nimis. i. quia pulchra
creauit cuncta; Et dicit nimis exagerando et efferendo diuine ma
gestatis potenciam dicit. In ciuitate dei nostri. i. in ecclesia; In monte sancto eius;
Hec ciuitas dei nostri ~~ec ciuitas di noistri~~ in monte sancto eius. i. super christum fundata. i.
lapis qui est lapis precisus de monte sine manibus; Fundatur s. est ipse dominus exultacio
nis uniuersae terre; Ante aduentum christi exultacio spiritalis tantum in iudea
erat. et hoc in paucis spiritalibus; ipse uero uere libertatis exultacionem per
uniuersum orbem fundauit. Mons sion latera aquilonis ciuitas regis magni;
Mons sion latera aquilonis; Quasi requiret aliquis que esset ciuitas regis nos
tri que in presenti fundatur; et in qua magnus et laudabilis predicatur; respondendo illi tali propheta; mons inquit sion et latera aquilonis. i. ecclesia utriusque
populi; Est ciuitas regis magni coniuncta in unitate fidei illo lapide angu
lari qui facit utraque unum; Nam per sion intelligitur populus iudaicus; Per latera aquilonis